

48836 ORATIO FUNEBRIS
MEMORIÆ AC HONORI
POTENTISSIMI HEROIS

MAGNI GV-
STAVI ADOLPHI,
Suecorum, Gothorum VVandalo-
rumque Regis &c.


Scripta & publicè dicta in Ri-
gensium Gymnasio
à

JOHANNE HOVELIO M. D.
& Profess. Gymnasij.



RIGÆ LIVONVM,
Typis GERHARDI Schröder /

Anno M. DC. XXXIV.



A. 5075 a



Universis & singulis quibus
GUSTAVI MAGNI,
Memoria venerabilis & ju-
cunda, S.

N*on nostri temporis consuetudo est, sed quã ab ultima ætatis memoriã variæ gentes religiose servarunt, ut qui jus familia ab augustiori origine sortiti sunt, quiq; bono Ecclesiæ ac Reipublicæ emolumento vixerunt, cum laudatione efferantur. Censuerunt antiquiores, non modo lacrymas abstergeri Celebratione factorum, cui funus fieret, verum etiam excitari generosas mentes ad virtutis decus ac majorum exemplis ad æternitatem preparari. Nulli enim tam in angustum redactæ vires, aut in servitutem damnatus spiritus, quin possit justis vindictis se ab eâ conditione vivendi liberare, cujus cum pœnitet. Ægyptii pro funere orationem dicturi, nullâ opum aut nobilitatis mentione facta, fortitudinem, Religionem, & Justitiam in demortuo extollebant, ut hoc laudationis genere, libtiores animi ad consimiles virtutes efficacius accenderentur. Arduum certe & immensi laboris*

opus, eluctari ad verum decus per tot bona mentis impedi-
menta quae plurimis primam iuventute obijciuntur.

Laudandus igitur *Œserio* quidem mos à priscis accep-
tus, si virtutis dignitas, quae in nonnullis humanam sor-
tem egreditur, oratione explicari ac potestate eloquii ad
perennitatem transmitti desiderat. Unde enim non dicam
mibi, sed cuiquam omnino mortalium tam dives orato-
riae facultatis supellex, tam copiosa Romani sermonis fa-
cundia, quae regiam *GVSTAVI* indolem *Œ* calo signa-
tam virtutem fando aequiparet, aut dignè representet. Im-
potentis jactantiae signum est, ejus velle laudes oratione
complecti, qui omnem humanae conditionis modum excessit.
Noluit Alexander effigiem suam caelo excudi, nisi per *Ly-*
sippum, nec pingi spe perpetuitatis nisi ab *Apelle*. Nemo
quisquis ille fuerit, *GVSTAVVM ADOLPHVM*,
Magno illo *Alexandro* Majorem digne venerabitur, nisi
venia pietatis *Œ* religiosi obsequij.

Apud Sinenses in violabili consuetudine receptum
erat, ut luctus parentum ad triennium extenderetur, hoc
rationis consilio, ut parentibus, quod sollicitè eos educassent
totoque triennij tempore artissime essent complexi, gratas
vices rependerent. Hanc consuetudinem in funere *GV-*
STAVI MAGNI regis ac parentis nostri jure merito se-
quimur, nec triennium modo sed quicquid vita reliquum ju-
sto dolori tribuimus. Cur enim luctuose devotionis officia
ac perennes lacrymas non exsolvamur mortuo, cui vivo
quo-

quotidiè pro meritis quacunq̃, luculenter positis gratias
ferebamus. O tristem & improvisam nostræ sortis mu-
tationem! Vixit GUSTAVVS, in quo seculi felici-
tas errantem virtutem ac intrepida mentis robur redu-
xerat! Ille vixit, in quo sera posteritas divinas animi
dotes nunquam satis mirabitur, imo condolebit nobis
quod natura rerum tantum regem produxerit morta-
lem.

Et parcius equidem de fragilitate humana sortis que-
reremur, si, quoties tam rarus decor, tam salutare & bene-
ficum (yduis cælo delabitur, eo usq̃, illi rebus mortalium in-
teresse contingeret, donec & felicitate ad publicam salutem
perfrui posset, et exemplo illius allecti generosiores, optima
quæq̃, sectarentur & addiscerent. Sed quorsum errore in-
firmitatis devenio, habet has vices conditio mortalium
jam inde ab exordio rerum, ut serenam jucundissimi aëris
tranquillitatem densior tempestas corrumpat, quæq̃, spe-
ctatissime florere videntur, infelici unius hora fortuna,
marcescant.

Convenite ergo quotquot lauro palmisq̃, toties deco-
rari GUSTAVVM audivistis, & eundem Apio fu-
nestisque Cupressis funerari adhortite. Dolor hic non pri-
vatus est nec unius cubiculi ambitu concluditur, publicus
est, & ubi solis occasus, terminatur. Plurimum referebat
olim, non novisse tantum, qualis quisq̃, in vita existisset
sed & qualis è vita excessisset. Nam ut vitam virtus con-
mendabat,

mendabat, ita illa à constanti & gloriosa morte illustra-
batur. Lyncurgus, ut egregiè meminit Plutarchus neminem
honorari Religione funebri passus est, nisi in bello cecidisset.
Ignorari volebat sapientissimus legislator, nec haberi inter
genitos, qui pluris otiosa voluptatis luxuriam, quam vir-
tutem, incunabula quam sepulchra fecissent. Quare cum
de occasu **GUSTAVI**, & quomodo in pralio Lutzen-
sanctissimum **DEO** reposuerit spiritum, orationem dicere
constitui, vos omnes, per defuncti hujus Magni regisme-
moriã oro & obtestor ut intemperatum devotionis affe-
ctum contestemini ac frequentes die Junii hora nona in
Gymnasio nostro conveniatis. Non promitto historiam
sed orationem qualem infelici eloquio oblitum singultibus
pectus solet eliquare. Ita n. vos experientia edoctos neu-
tquam dubito, inter singultus verborum ordinem pe-
rere & non nunquam præter voluntatem
esse quid à voce impetra-
tur.



ORA

ORATIO.

Generose Domine Gubernator, Viri Magnifici, Nobilissimi, Consuletissimi, admodum Reverendi, spectabiles, Prudentissimi, Excellentissimi, Clarissimi Ecclesiæ & Reipublicæ decora membra; vosq; cæteri qui honoris testandiq; affectu erga demortuum Regem causa convenistis, generis nobilitate & virtute eximii; studiosi lectissimi parentum amor, spes posteritatis.

Si unquam tristioris Fortunæ severitas in religiosam periclitantis Germaniæ libertatem desæviit, factum hoc est anno supra millesimum, sexcentissimum trigesimo secundo, quo potentissimus Regum **GVSTAVVS** *enri bel gloria* **MAGNVS** regio sanguine per tot vulnera profuso eandem ab interitu vindicavit, ac victorem spiritum æternitati reposuit. *rogno me muna petra in muo it* Desunt verba rebus immensis, nec potest semens animi ex ingenti plaga colligere, quam inflictam sibi ab occasu **GVSTAVI** jam pridem civitas nostra Rigenfis publicè testatur. Biennium ferè est quod in dies **GVSTAVO** regi ac parenti nostro ivimus exequias & nec dum tristi plangore eundem lamentari desistimus. Olim viris principibus, ex illorum numero, qui rerum in his terris potiti essent, quiq; bono Ecclesiæ ac Reipu-

Reipublicæ emolumento vixissent, justus honos in fune-
re exhibitus est, quis negabit justiorē exhiberi GVSTA-
VO nec satis esse ut se mel luctū publicum ferali pompa
instauremus, cum nec semel eundem laudasse sufficiat.

Historiarū monumentis accepimus Aurelianū Impera-
torem postquam non daretur illi diutius intra mortali-
tatis legem consistere, tantum sui desiderium reliquisse,
ut sacrilegii reus judicaretur, nisi domi suæ ejus habuisset
imaginem: Præclarum hoc est & laudabile desiderii testi-
monium; ast longè præclarius GVSTAVVM MA-
GNVM, Germaniæ Liberatorem & Christianæ Reli-
gionis vindicem reliquisse, illi norunt, qui justa æstima-
tione viros illustres arbitrari didicerunt. Et si n. pugnan-
di ardor & egressa modum virtus, invictissimum Hero-
em cælo redonavit, unde tam nobile depositum terris
transmissum erat, tamen pectoribus omnium infixus
hæret ac desiderio efflorescit animorum. Paucissimos
reperiri existimo qui ducuntur sensu bonæ rationis & be-
nevolè erga virtutes veræq; Religionis puritatem affecti
sunt, qui non cogantur pressius ejulare nenias ac nostris
miseriis illacrymari. Nobis enim, nobis non sibi lugen-
dus, qui majore nostrorum, quam suodamno sublatus
est. Amisimus in GVSTAVO non regem Dominum
nihil n. minus ille nobis fuit, sed regem Patrem & felicis-
simum protectorem. Amisimus in GVSTAVO bel-
latorem, quem peregrini populi mirabantur, quem exte-
ri re-

ri reges honorabant, ad cuius solum nomen hostis trepidabat, & quasi penetrabile fulmen atq; inevitabilem tempestatem ipsius adventum metuebat. Quis unquam animosior quam Fortuna pateretur ivit & Ecclesiæ Christianæ salutem regio stabilivit sanguine? G V S T A V V S est, qui omnem impetuosa tempestatis molem fortiter sustinuit, & quem ad modum rupes furentis oceanus minas lateris oppositu effringit, ita potentis dexteræ objectu quoscunq; impetus illidebat.

Hujus cum ego beatis manibus supremum Pietatis officium elargiri jubeor, nescio unde orationem ordiri, & ubi exitum invenire possim. Vtinam Maximus regum G V S T A V V S digniorem suarum laudum præconem ex augusto ac venerabili hoc confesso nactus esset, quippe cujus præstans ac regia virtus feliciori eloquio ad æternæ posteritatis memoriam transmitti merebatur.

Sed quoniam illorum autoritate quos merito veneror & qui jubere possunt, hæc provincia ac dicendi potestas ad me devoluta sit, malo de existimatione bonæ eruditionis periclitari, quam intempestive vestris obluctari imperiis. Etenim non parvi negotii res est, apud aures tam eruditas tanti regis virtutes velle recensere, cujus vel nomine audito aliquid mortali conditione majus animis nostris obversatur. Cum autem sæpissimè vel conatus, in arduis rebus licet impar voluntati laudem promereatur, haud existimo tenuitatem dicendi meam culpari

posse, etiamli ipsem sefellisse videar, nec ad tantæ majestatis decus mea assurgat oratio. Quæ enim tanta potest existere felicitas ingenii, quæ tanta eloquii ubertas, quod tam divinum orationis genus, quo quispiam possit universa **GVSTAVI** in Ecclesiam promerita, in Republicas decora non dicam complecti orando, sed percensere numerando? Sint, quibus placeat in tam patenti campo, ubi illis facilius principium invenire, quam servare modum, data opera luxuriari. Mihi propositum est, memorabilem illam in campo Luzensi pugnam, qua victor **GVSTAVVS** cecidit, & quæ potissimum tum temporis in eo fulsere virtutes breviter enarrare. Vos, Auditores omnium ordinum honoratissimi, qui vivum honorastis, mortuum lugetis, ereptum desideratis, concedite quæso mihi vacivas aures, ac labentem sub onere admirationis æquitate & favore erigite.

Nondum invictissimi regis **GVSTAVI** potens dextera deformem pallentis Saxonix aspectum in antiquum decus ac pulchritudinem devictis propè Lipsiam Cæsareanis, reparaverat, & alia longe periculosior calamitas eandem depopulari cæpit. Vix Tilliana tyrannis expirarat, & **V**Vallensteiniana surgit, ac eandem misere depeculatur. Impossibile dictu in quantas quasve miserabiles angustias Romanæ potestatis perfidia florentissimos populos præcipitarit? Paucæ civitates, pauciores agri, paucissima

pietatis loca, quæ non teterimi hostis manus sacrilege
evertit, nec evertit solum, sed in horrendam Romanæ
religionis superstitionem commutavit. Nullum cu-
juscunq; tempestatis seculum ab ipsis Germaniæ incuna-
bulis per fastos indices erimus, quo vel Ecclesiæ salus
periculosiore loco, vel Cæsareana tyrannis certius exiti-
um Germanæ libertati minaretur, quam præsens illud,
quod decurrit; nisi altior quædam virtus ac propè divina
illis gratiosè fuisset auxilio, ac potentissimi regis GV-
STAVI animum ad vindicias contaminatæ libertatis ob-
firmasset. Laudata est olim ac honore posteritatis decora-
ta, insignis populi Romani virtus, qui duce Flamminio
antiquam Græciæ libertatem sibi propugnandam duxit,
& ne gens tam præclara serviret, procul à Patriæ finibus
bellum cum hoste gerendum judicavit. At quanto glo-
riosius, quanto æquius, quanto majori honoris enco-
mio dignum, peregrinos & frigidæ Septentrionalis po-
pulos, non pro libertate tantum florentissimæ Germa-
niæ, sed pro Religione & Christiana pietate depugnare.

GVSTAVVS enim, in cujus viribus & subsidio Ger-
manorum salus ac saucia libertas quiescere amabat,
quamprimum Saxoniam variis adhuc tempestatibus
agitari, & ducem VVallensteinium Lipsia iterum ad
deditionem coacta, cum numeroſo exercitu versus
oppidum Leucopetræ, alias VVeissenfels, progressum
esse cognosceret, ut istis acerbitatibus & ærummis

maturè mederetur celeri itinere cum lectissima manu trigesimo octobris die Naumburgum pervenit, hac consilij intentione exedentibus viscera ulceribus asperam manum admovendam & ferro igniq; rescindendas vitiatas ac malo contactas partes, ut vigor oppressus efflorescere ac vis spirantis & moventis se ad huc animæ conservari possit.

Vocato itaq; in Consilium duce Bernhardo VVeimariensi, præfectisq; omnibus in societatem adlectis, in hanc sententiam orare incipit. Vellem, Celsissime princeps & vos viri generosi, felicioribus Saxonix rebus atq; meliori imperii tempore & vos me ducem nacti essetis, & ego sæpius præstitæ fidelitatis spectaculo perfrui possem, nec ad nova conflictus incommoda vos invitarem, Neminem enim tam aversum ab omni humanæ societatis fædere existimo, qui non malit ad serenæ tranquillitatis portum appellere, quam continuis pugnarum fluctibus inquietari ! Ast vero cum res adversæ aliud remediij genus exquirant, & postrema necessitas suadeat, esse non quærenda sed capienda consilia, proinde satius esse arbitror & viriles animos, & arma hosti opponenda esse, quam per desidiam committere, ut oportunitate nacta hostis, firmiori se opere circumdet, aut validiore munit præsidio, quo securius tandem Germanix libertas in intolerandam servitutem & famulatum insolentissimæ dominationis commigret. Nam ut religionis & fidei negotium

gotium leponam, quænam iustior arma lumendi causa
existere potest apud homines indole & sorte liberos,
quam pro aris & focis dimicare, quam injustæ servitutis
depulsio, quæ generosis pectoribus omni tormento ma-
jor esse debet. Et si parum intersit, quo quisq; mortis ge-
nere intereat, cum prorsus pereundum est; tamen magis
gloriosum in conflictu succumbere & pugnando mori,
quam precariam inter tot furentes trahere animulam &
turpem servire servitutum. Familiarius inter se conve-
nient calor & frigus si natura ferret, quam libertas & ty-
rannis, tantum abest ut semel in servitutem damnatus
populus libertatem sperare audeat. Itaq; considerate viri for-
tissimi, quantum momenti repositum sit in vobis & ve-
stra fidelitate, cum non tam multitudo & indocta virtus,
quam præsens animus & usus rei militaris soleant præ-
stare victoriam. Non spontè, sed ultimæ necessitatis im-
pulsu, non inconspècta temeritate sed detestatione ty-
rannidis ad pugnandum progrediemur. In hoc ferro,
quod sæpius vagina eduxistis, urbium & ditionum ve-
strarum in columitatem fertis, hoc ferro turpissimæ ser-
vitutis jugum à vobis excutitis & toties optatæ libertati
vos vestraq; reservatis.

Vix finierat & thurmas lustrare, instigare præfectos,
instruere ordines confertam ducere aciem ac prælium ce-
lerare meditatur.

VWallensteinius quem fortissimi Regis adventus &

toties probata bellæ virtus non nihil commoverat, Lutzenam duobus Lipsia miliaribus distantem, oppido Leucopetræ prius expilato ac vastata arce, concessit. Hunc sine mora insequi parat **GVSTAVVS**, & altero statim die, qui erat quintus Novembris, aliquot ante solis exortum horis, cum exercitu loco movet, circiterq; meridiem ipso die bene ordinatam aciem illi in conspectum locat. Hic in arena, ut dicitur, & ex tempore consilium capitur. Vtrinq; ad fortiter pugnandum animatur exercitus, qui velitatione præmissa mox graviori prælio concurrebant, ita tamen ut horribili tormentorum explosione, excussisq; machinarum globulis, **V Vallensteinius** in fugam, plurimis cæsis, versus sit, vexillo à **Crabatis**, in quo Romani Imperii aquila depicta erat, reportato. Nunquam feliciori certamine pugnatum esset, nisi densior vespera, quæ subito ingruerat, & militum animos, & victoriæ gloriam stitisset.

GVSTAVVS enim cui noctis præsentia quietem & virium refectionem imperabat, prosperioris pugnæ initium non nisi specioso victoriæ exitu terminari firmiter credebat, quare cum desiderio alterius diei solem orientem, milite ad pugnam eleganter ordinato, expectabat. Nihil enim divina **GVSTAVI** mens aliud cogitabat, quam fortiter pugnandum esse, eundemq; ad vindicias contaminatæ libertatis, per vulnera, per glorio-

ſam mortem, & tanto quidem acrius, quanto gravius
periculum immineret. Antequam itaq; Sole jam ex-
orto conflictus denuo ac prælia decernerentur, ſubmiſ-
ſis genibus tenſiſq; ad ſidera palamis, divinum numen de
Victoria ardentiffima precatone ſollicitavit; inde ad
exercitum ſe convertit, & principio Suecos Finnonesq;
animofa oratione in hunc ſenſum compellavit. Fortiſ-
ſimi viri, cariffima pectora; Diu eſt quod fide atque
opera veſtra, tum in obſidionibus, tum in præliis, &
quibuscunq; expeditionibus feliciter uſus ſum, neq;
me militum & vos ducis pœnituit. Quid enim (ut cæ-
tera taceam, quæ æternum decus ac gloriam vobis pepe-
rerunt) victoria illa ſpecioſius, quam exteri in hoc ipſo
ſolo non ita pridem, pro reducenda Germaniæ libertate
ac propaganda Religione ex uſo ac proſtrato Tillii exer-
citu reportatiſtis? Non deeſt & hodie vobis virtutis exer-
cendæ materia, non ingentis occaſio laudis. Nihil qui-
dem ſine labore & ſanguine vobis polliceri audeo, attra-
men quæ ſunt etiam cum ſenſu doloris, vix ſentit ani-
moſus, nedum quæ facta ſint, reformidet. Vos, vos
mei ſocii & fratres, vos eſtis quorum robori ac dexteræ
confido, veſtram virtutem & inſignem fortitudinem
rerum omnium, quas geſturus ſum, vadem prædem-
que habeo. Vos modo pugnate fortiter, ac conceptam
omnium ſpem de eximia virtute veſtra fortitudine

ſuſtinet.

sustinete Non in limine operum laborumq̄; sed in exitu stamus. Agimus inter peregrinas gentes non ut potestates ac dominatus regno nostro adjiciamus, sed ut Dei religionem ac Germanam libertatem propugnemus. Enitimini itaq̄; ac diligenter cavete, ne quas tot præliis feliciter gestis meo auspicio laudes promerulistis, nunc per summum dedecus & ignaviam dehonestetis. Recolligite veteres animos ac hodie pro Rege vestro & veritate Religionis decernite. Quod si feceritis mea salus & gloria vestra erit, sin minus edico hoc omnibus & singulis, neminem esse qui & suos & toties desideratam patriam visurus sit. Fune enim & furca dignus miles qui circumspicit effugii loca & destituit intrepidè præeuntem ducem. Ad me quod attinet, jam pridem mihi ut novistis consuasum est, neq̄; exercitus neq̄; ducis terga tuta esse; proinde, decora mors turpi mihi vita potior. Quâ oratione adeo ad pugnandum Finnones excitabantur, ut spirare in omnium vultu idem furor & hostilis spiritus videretur. Hinc ad Germanos concessit, quos tali oratione salutavit.

Et vos viri Germani socii suavissimi. Quiescerem libenter, nec susciperem in me hoc laboris, nisi omnia jura divina, omnia humana suffragarentur auspiciis bellorum, quæ geruntur pro libertatis statu, pro sanguine redimendo, contra vim & violentiam impotentissimi Dominatus. En vobis egregiæ ultionis & vindicandi oppressæ liber-

sæ libertatis oportunitatem, ulcisci uxores ac liberos, ulcisci desolatatas ditiones, ulcisci dirutas civitates, ulcisci sanguinem ipsi vestrum potestis. Expedite manus vestras, non deserite gloriosam stationem, ad quam vos Religio, Libertas, Patria, uxores, liberi, moresq; majorum admo-
verunt. Vidistis omnes quantum ego fidei, quantum virtuti vestræ tribuerim, quos ex tot gentibus & voluntario milite, solos ad rerum omnium summam gerendam delegi. Et quis unquam excelsioris animi impulsu, pro gloria conditionis suæ, pro Christi Nominis Celebritate, pro incolumitate suorum, vitæ necisq; periculum exhorruit? Nunc reducendæ libertatis & ampliandæ fortunæ occasio adest: Ego in agmine atq; in prælio consultor, idem & socius periculi vobiscum ero. Nihil est quod non vestra causa strenuè & invicto animo suscepturus sim, non parcam laboribus, non thesauro, non deniq; sanguini & vitæ. Vos modo qui ad fortitudinem nati estis, qui pro libertate mortem oppetere pulcherrimum esse augurium arbitramini, acceptate gratis pectoribus hanc meam operam, & vestram jungite. Ex eventu vestræ virtutis omniumq; popularium vestrorum fides æstimabitur, vos spectabunt omnes, vestram fortitudinem imitabuntur. Sed quorsum prolixiori orationis excursu moror, quorum animos jam ad pugnandum concitatos video, & in concitatis animis hostiles spiritus,

Ita ad præliandum animato exercitu statim signa

C

dari

dari iubet: & canentibus lituis, ad libertatis certamen, prope Lutzenam, nomine Salvatoris IESU ter iterato, milites producit. V Vallensteinius interea, cujus copiarum infelici auspicio certarant, firmiori sclopetariorum praesidio altius juxta viam effosa & excavata tellure turmas munit, Lutzenam flamma depopulatur, quo istic locorum improvisam Suecorum irruptionem impediret. Vtrinque lectissimus in patenti campo conspicitur exercitus & numerosa manus. Multa enim ibi planities erat, & explicandis militibus aptissima. Hic G V S T A V V S, illic V Vallensteinius suos admonere sacramenti, & primam ordinare aciem obequitant. Hinniunt interim equi, volitant signa, fulgent gladii, concinunt litui, clangunt tubae, & immani quodam strepitu timpana personant. Mox tormentorum fragor & flamma, machinarum horror & grandines omnia complent. Existimaretis repente terris ingruere caelum, sylvas camposq; moveri illoco, misceri omnia, antiquum rediisse chaos, divina pariter & humana tumultuosa tempestate confundi, cunctaq; simul trahi in perniciem, ita tonabat aether, & dies exorta telorum grandine, & vapore vulnerum nebuloso tegebatur.

Verum ubi terribilis ille horror non nihil desisset, ac ferè per bihorium tormentorum ictibus cerratum esset; cominus sclopetis ac potenti dextera decernitur.

Iam

Jam pulvere cælum

*Stare vident, subeunt equites & spicula castris
Densa cadunt medijs. It tristis ad aethera clamor
Bellantum juvenum, & dura morte cadentum.*

Instabat tum acriter VVallensteinus dux, ac bellatorum numero major, undiq; GVSTAVI exercitum fatigabat. Contra GVSTAVVS suorum virtute nixus ac bonitate causæ, aut mori, aut victoriam reportare cum animo verlabat. Primus itaq; cum selectissimis aliquot turmis equitum dextri cornu, sinistrum VVallensteini tanta animi magnitudine, tanta vultus animositate aggreditur, ut inter militarem fortitudinem ducis oblitus videretur. Vtrisq; necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria.

*Sic clypeo clypeus, umbone repellitur umbo,
Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis.*

Hic GVSTAVVS, qui excelsum & militarem animum ad exemplar peritissimi bellatoris Alexandri Magni formaverat, in principio aciei fortiter dimicat, plurimos prostrernit, hostium turbare ordines attentat, & quacunq; rem perplexam, & inclinantes ad fugam animos conspicit, impavidus effunditur. Sed non idcirco fugiunt omnes, potissimum illi, quibus rabies, & suorum sanguis nobiliorem in acie mortem commendabat. Hic deserit GVSTAVVM non pugnandi ardor, & toties bello probata virtus, sed subsidium & socius exercitus, quem nebulosa tempestas morabatur, quominus illi

tanta celeritate succurreret. Itaq; in medio hostium pro Religione & libertate fortiter dimicans aliquot vulneribus conficitur, & gloriose succumbit. Ex adversa parte interim dum hæc fiunt missa extemplo manus Crabatorum, quæ dextrum nostri exercitus cornu tanto strepitu & furore invadit, ut nihil crudelius illo certamine videretur. Iam congressus, jam pugna & varii conflictus, mox collisæ inter se in modum rostratarum navium acies, trudent, trudentur, feriunt, cædunt, vicissimq; feruntur & cæduntur. Alternis fugiunt cohortes, & sequuntur confusa latè vexilla. Surgunt acervi cadaverum, & per ipsa mortuorum vulnera pugnatur, usq; dum Suecorum exercitus totis viribus ac ingenita animi fortitudine obstitens hostem propellit, atq; in fugam conjicit.

Nunquam tristior calamitas & iniquius fatum Germaniam afflixisset, nisi ipse DEUS tanti capitis occasum glorioso victoriæ exitu sarcivisset. Bernhardus enim dux VVeimariensis, postquam GVSTAVVM ADOLPHVM, adorandum gentibus caput, in medio hostium cecidisse cognosceret, tanto furore exarsit in regii sanguinis ultionem, in virtutis & gloriæ cupidinem, ut strata ad plenioram victoriam via GVSTAVI exemplo procederet, nec nisi victor hoste funditus deleto reverteretur.

Nescio an victoriæ magnitudinem prædicare, antanti Imperatoris occasum rectius lugere debeam. In Lutzensi campo, ubi ipsa victoria parata est, & spolia ab hostibus

stibus reportata, non nisi triste silentium fuit, quod ita
virtutis & gloriæ facundum exercitum compleverat, ut
de Fati atrocis iniquitate & sui ductoris occasu, de victo-
ria vix cogitaret. Inter deformia squalore vexilla, inter
tristes lituos & luctuosum taratantara consternati duces,
mœstissimæ cohortes spectabantur. Oigitur diem il-
lum Sueciæ luctuosum, qui hunc tantum regem rebus
mortalium exemit! O lucem toti terrarum orbi fune-
stam, quæ hunc propugnatorem libertatis, Religionis
Christianæ vindicem vita spoliavit! Quod si navigantes
magistro & directore excusso optimè intelligunt, quan-
tum sibi periculi ac adversæ tempestatis imminet; quid
nobis faciendum erit, eo rectore & Imperatore amisso,
qui omnia sua consilia, omnes actiones, ad publicam sa-
lutem & divini Nominis gloriam dirigebat. Videor
mihi videre ante oculos florentissimam Sueciam lugu-
bri habitu deformem, ac querula voce revocare suum Im-
peratorem. Videor mihi contueri bellorum motibus
æstuantem Germaniam, communem ferè omnium pa-
rentem, pullis vestibus sordidam, ac miserabili gemitu
reposcere suum liberatorem. O Improvisæ mutatio-
nem sortis! Ut perpetua serie gaudium, nulli mortalium
relictum est. Itane deficere potuit illa pietatis & vir-
tutum corona! Itane succumbere ac sepulchro claudi,
qui tot mortales à sepulchris vindicavit! Itane occidere ac
pugnando mori, cujus potens dextera infinitis pugnando

vitam servavit! ô atrociam implacabilis fati! ô Fortunam sine delectu furentem! Hic si verum, sine cuiuspiam invidia, fateri licet, posteaquam exitiosa Cæsareani exercitus tyrannis apud Germanos invaluit, nulla unquam hominum natio extitit, cui plus debeat Christiana Religio & Germanorum libertas, quam invictæ Suecorum nobilissimæq; virtuti. **GVSTAVVS** fuit, per quem regum Dominus cælestis beneficentiæ & gratiosæ benignitatis ubertatem in nos transfundi clementer statuit. Ille fuit, in quo melioris fortunæ & publicæ felicitatis signum efferebamus, in cuius virtute nostra incolumitas, & bonæ salutis spes quiescebat. Tantam enim animi magnitudinem, tantos ac tam prosperos inauditæ felicitatis cursus, non nisi ad reducendam libertatem, & Lutherani Religionis defensionem incitatos fuisse, quis non arbitraretur? Veteres Poëtæ, cum suos Scipiones, *Æmylios*, *Scauros*, *Pompeios*, *Cæsares* ambitiosius posteritati commendarent, nihil habebant, quo altius efferrentur, quam cum illos sanguinis atq; animæ prodigos nominarent? At quis unquam profusior sanguinis, & magis prodigus sui quam, **GVSTAVVS**, qui in ipsa sanguinis profusione animam exhalavit! Hic ille heros, qui florentissimum Imperium non lacessivit modò, sed paratum, & sub signis se expectantem victoriosum & numerosum exercitum adortus est. Profecto longe dissitum & peregrinum solum, varia furentis oceani pericula,

com-

commeatus dubius, littorum aditus & natura, & milite firmatus, nisi **GVSTAVVS** fuisset, Imperatorem contruissent. Iuit in secula & memorias literarum **Quinti Murii Scævolæ**, & **Horatii Coclitis** virtus, quorum alter, quod in exitio **Perennæ** Regis Patriam obsidentis errasset, ustulantem dexteram ac focum adipe suo pastum, velut à sensibus relictus, intrepidè conspexit, severior erroris sui, quam **Tyrannus** vindex; alter **Hetruscis** in urbem **Romam** ponte supplicio irrumpentibus, extremam ejus partem occupavit, totumq; hostium agmen, donec post tergum pons rumperetur, infatigabili pugna masculè sustinuit. Laudabiles generosarum mentium spiritus, ac posteritatis memoria dignissimam fortitudinem! qua non tantum ab hostium tytannide vindicata Patria, verum in pristinum decus & libertatem reparata est. Sed quænam **Romana** illa animositas, quænam vis invicta animi, si cum intrepida **GVSTAVI** virtute comparetur? Uterq; studio laudis, & amore **Gloriæ** hostem adgressus est, & **Patriæ** servitatem præclaro facinore avertit; **GUSTAVVS** amore **Religionis Christianæ**, ac **divini Numinis** reverentia, non ex insidiis hostem, ut **Scævola**, sed aperto Marte; non aliquot ex hostium numero, ut **Horatius Cocles**; sed integrum aliquoties exercitum adortus est, atq; ex præsentis discrimine, non unam aliquam civitatem, non Patriam sed peregrinam gentem, totamque penè **Germaniam** liberavit.

Non

Non placet ex historicorum mōnūmentis in exem-
plum vocare plures, qui Famæ æternitati victorias ac tri-
umphos suos inseruerunt, cum vel ipsa fatente invidia
GVSTAVVM ADOLPHVM omnes non æquali-
se modo, sed virtute excessisse notissimum sit. Opta-
rem, si per naturam fieri posset, ut flos Eloquentiæ Xe-
nophon, insignis scriptor Græcus, precariæ vitæ aliquan-
tisper redderetur, & de GVSTAVI MAGNI virtutibus
extra Solis, vias & oceani limites audiret; castigaret profe-
cto errorem, quo conceperat, non posse in mortaliū coetu
eam extare effigiem, quam in Cyro rege Persarum de-
scripsit. Quis nisi GVSTAVVS, cujus adolescentia
ad peritiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis im-
periis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipen-
diis, sed triumphis est traducta? Quid aliud tota illius per
Livoniam, Borussiam, Pomeraniam, Marchiam, Mis-
niam, Saxoniam, Silesiam, Thuringiam, Franconiam,
Moraviam, Bohemiam, Austriam peragratio fuit, quam
perpetuus quidam triumphus, isq; multo omnium glo-
riosissimus? Inter innumerabiles Romanorum trium-
phos, nullus lætior extitit, quam Scipionis Africani de-
victo Hannibale, nullus magnificentior, quam Pauli
Æmilii capto Persa Macedonum rege. Solus GVSTA-
VVS tot hostibus perpetuum triumphum exhibuit, ni-
si quod toties novus videri poterat, quoties aliam pro-
vinciam occuparet.

Contuemini clarissima caelo sidera, ut divino agitata spiritu reciprocis semper itineribus consurgunt, ut certis erroribus cursus emetiuntur, ut eo ordine, quem natura signavit, spatia sua explicant: Ita perpetua agitatione felicissimi sideris more sublimis GVSTAVI spiritus ferebatur, & ne virtus domi languesceret, pro Germanorum libertate & orthodoxa Religione excubabat, ac si hostilis exercitus Sueciæ regnum urgeret, & in discrimen Salus Patriæ adducta esset. O Regem in quo seculi felicitas Romanam fortitudinem ac errantem virtutem reduxerat! Inter tot sapientium armatas manus, inter tot venalis vitæ animas Solus G V S T A V V S erat, qui provinciarum querelis, civitatum desideris, omnium questibus, singulorum lacrymis succurreret atq; opitularetur.

Tu GVSTAVE subditis asylum, exteris gaudium, consanguineis auxilium, oppressis solatium, omnibus refugium fuisti! Tu orbis ornamentum, virtutis decus, heroicæ magnanimitatis exemplar! In te amisimus Octavii Imperatoris probitatem, & munem Titi Vespasiani beneficentiam. In te amisimus magnanimitatem Iulii Cæsaris, fortitudinem Alexandri, benignitatem Antonii, sobrietatem Adriani, felicitatem Tiberii, ingenium Flavii Vespasii. Tecum ô GVSTAVE sapientia in consulendo, consilium in providendo, industria in agendo, celeritas in conficiendo sepelitur.

D

Olim

Olim Andromache postquam Hectorem obiisse cognovisset, nihil impensiori voto desideravit, quam ut instar Narcissi in perennem fontem solveretur, quo perpetuò ipsius tumulum rigaret: Quis nisi vitio rationis indignabitur, nos Gymnasium nostrum singulcibus, luctu & lamentatione complere, nos lacrymis tanto Regi justa facere? Præsertim cum lacrymetur universa hæc Provincia, cum Suecia ploret, cum Germania lugeat, cū exteri Reges & Principes mœreant, cum ipsa Ecclesia tristetur. Quod si amissione optimi civis, in squalore jacent, qui communi tantum humanitate moventur; quem doloris sensum, quam acerbum opinamini utriusq; Reginae esse Matris & filiae, quarum illa carissimum maritum Regem, altera gloriosissimum parentem victorem amisit? O Incomparabilem cladem! Sol, mundi oculus ad tristissimum hunc casum pallere, & benignissimæ operationis radios nobis subtraxisse videtur! Luna & quæ cælo positæ stellæ tristantur, quod non amplius illi prodesse possint, cui ad quascunq; expeditiones & secretioris consilii ausus, lumine succurrebant? Terra luges, se talem amisisse Dominum, qualem aut omnibus seculis nasci oportuit, aut nunquam denasci: Dignissimus certe erat, qui non calcaret modo terræ globum, sed illi imperaret. Mœret aqua, & in se relabitur istius Regis interitu, quem, quotiescunq; volebat, placidissima navigatione vexit, & quocunq; intendebat, duxit. Dolet

aër,

aër, quod spiritus vitalis materiam illi sufficere ulterius, & intensiorem cordis motionem æstuantesq; pulmones blanda inspiratione moderari non possit? Dolet ignis quod calorem ipsius usibus commodare cesset, cui æternum servire amabat? Lugete, quotquot convenistis, nostrum protectorem, in quo tanta Majestatis & virtutum pulchritudo nitebat, ut eundem ab hoc orbe remotissimæ gentes tacita optione suum Imperatorem deposcerent, ut ei jam ad Cæsareanæ dignitatis solium Germania suffragaretur. Desino querelarum, præter mentem accidit, quod doloris recensione vos diutius moratus sim.

Revocate vobis in memoriam si lubet religiosam pietatem, sine qua nulla potest hominum esse nisi turbulenta societas, & fatebimini omnes, in **GVSTAVO** eam veluti solem in meridie effulxisse, ut merito exemplar statui possit, quod Christiani Principes non modo intueantur, verum tutò imitentur. Nunquam enim in omni vita quicquam aggressus est, sive **DEI** honorem, sive Reipublicæ salutem spectaret, nisi prius humillimè in genua procubisset, & Deum omnis felicioris successus autorem ardentissimè esset precat9. De **Carolo Quinto Romano-**rum Imperatore memorant historici, illum in bellicis expeditionibus sæpius cum Deo, quam cum hominibus esse locutum, non rarò ab exercitu secessisse, ut ferventius

oraret. Quid de GVSTAVO narrabit posteritas, qui non tantum quoties cum hoste decernere necessitas exquirebat calidis precationibus DEVM fatigavit, sed & universum exercitum inusitatae devotionis exemplo ad Pietatem & Divini Numinis cultum excitavit. Non galea caput, non calsis faciem, non lorica pectus contexit, cum unum hoc sufficere videretur, ut se DEO commendaret. Non ut Xerxes olim Græciam, ita Germaniam GVSTAVVS decies septies centenis millibus ingressus est: præter Deum, animos & ferrum nihil attulit; Vnde verè illi accommodatur, quod Claudianus Theodosio victori occinuit:

*Onimum dilecte DEO, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes; tibi milstat aether,
Et conjuratò veniunt ad prælia venti.*

Ab eo tempore, quo Religio, quæ aliquot seculis Romanæ impietatis potestate oppressa jacuit, caput exerere & denuo lucem videre cœpit, nullum tutius puræ veritatis & concordiae domicilium, quam sub GVSTAVO MAGNO habuit. Noverat optimè prudentissimus regum, nullam firmiorem imperii basin esse, cui publicæ felicitatis salus inniti ac consistere debeat. Noverat ille, omnem hujus mundi gloriam, & regias dignitates lascivientis fortunæ libidini subjectas esse, nec quicquam in terris præstantius, quam Deum habere propitium in cœlis. Ille sacratioris Teologiae Doctores & verbi divini

vini ministros impensè coluit; ille Religionis propagationem regia fide & sollicitudine promovit. Ille Academi-
as, Sapientiæ, virtutis & incorruptæ pietatis officinas,
aperuit, fovit, tutatus est. O tristissimam tanti peculii
jacturam! Olim ex Platonis legibus nemo ad Imperi-
i fasces vocabatur, nisi diligentem pietati navasset operam;
existimabant illi, non facile quempiam reperiri, qui re-
gem, cui numen esset propitium offendere auderet, tum
quemcunq; ab eodem protectum defensumq; iri arbi-
trabantur. Romani terrarum domini cum viderent,
Numam Pompilium ferocios populos solius religio-
nis exercitio ad meliorem cultum redeuisse, decreverunt,
ut singulis quibusq; annis, decem Patriciorum filii ad sa-
crorum peritiores mitterentur, qui Hetrusca imbuti di-
sciplina in Patriam redeuntes, Dis suis ritè sacra exhibe-
rent. Tanti erat apud Ethnicos, superstitiosæ pietatis reli-
gio, ut ipse Cicero testetur, Romanos neq; numero, neq;
robore, neq; calliditate, neq; artibus, sed sola Pietate hos-
tes superasse: & eleganter Salustius: Qui magno Imperio
præditi, in excelso vitam agunt, eorum facta cuncti mor-
tales novère; ita maxima fortuna minima licentia est. Ac-
cedite ergo quotquot Pietatem, privati hominis virtu-
tem existimatis, regum otiosæ voluptatis sectari luxu-
riam, & erubescite ad Ethnicorum Religionem, G V-
STAVI pietatem admiramini. Sed quò digressus sum?
Video quod nautis evenire solet, ubi velis in adversum

expansis cursum difficulter retro flectunt; idem mihi accidere, velis orationis magis magisq; se pendentibus. Verum ne culpa ingenii deterere potius, quam dignè prædicare videar virtutes, quæ in **GVSTAVO** sortem humanæ conditionis exceſſerunt; hic vela comprimere, & ad portum adpellere constitui.

Vobis, Generose Domine Gubernator, Magnifice Burgraviæ, viri Amplissimi, Nobilissimi, Consultissimi, admodum Reverendi, Excellentissimi, Clarissimi, in seculi hujus gloriam & Republicæ Rigensis decus progeniti, vosq; cæteri Spectatissimi, Præstantissimi virtute & literis egregiè decorati, vobis, inquam, omnibus & singulis insignes habeo gratias, quod sepositis quibuscunq; negotiis tanta celebritate & benigna attētionē cohonestare volueritis hoc nostrum non eruditionis, aut ingenii specimen, sed supremum luctuosæ devotionis ac Pietatis officium, sacrum & devotum beatis manibus **GVSTAVI MAGNI** potentissimi Suecorum Regis, & herois incomparabilis, Domini nostri Clementissimi.

Quod superest, præpotens, æterne **DEUS**, supplices te religiosa oratione veneramus, ut serenissimam **CHRISTINAM** Reginam ac Dominam nostram clementissimam; Serenissimam itidem matrem **MARIAM ELEONORAM**, Reginam ac viduam mœstissimam; potentes insuper Regni Suecici Senatores, quam diutissimè rebus mortalium interesse, quam prudentissimè turbatissimis

batissimis rebus præesse digneris. Tu sanctissime DEUS,
tu solus qui limites ac terminum insanienti Bellonæ ac
Marti furioso constituere; tu solus qui tranquillitatem
tam diu exulem & toties desideratam mitioris Fortunæ
auspicio reducere; tu solus qui spirantes incendia ac cæ-
dem animos placare, & dissidentes inter se artificio con-
cordiæ vinculo unire novisti: Concede quæsumus, ut
post diutinam bellorum rabiem fida, stabilis, perpetua
pax per omnes Mundi angulos inoffensos agat cursum,
& feliciter triumphet. — Quod enim hic in Livonia ad-
huc vivimus, quod Respublica hæc nostra Rigenfis tam
periculoso & difficili tempore adhuc floret, quod in feli-
ciori portu anchoras figit, non aliunde nisi à te est. Tu be-
nignissime Pater deinceps esto protector ac Palinurus
noster. Te enim Rectore nulla maris procellosi tem-
pestas ingruit, te ad clavum sedente, nulla
ejus pars fluctuat, nulla
mergitur,

DEO SOLI HONOR ET GLORIA.

